

Kamil Kantak

"Kwestja prymasostwa polskiego pod koniec XVIII wieku", ks. Władysław Kwiatkowski, Warszawa 1935 : [recenzja]

Collectanea Theologica 17/3, 473-474

1936

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej **bazhum.muzhp.pl**, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENSIONES.

Ks. Władysław Kwiatkowski, Kwestja prymasostwa polskiego pod koniec XVIII wieku. Warszawa 1935.

Opusculum hoc in textu suo concinatum numerat non nisi 34 paginas, tamen in argumento suo valde notabile est. Questio dignitatis primatialis in Polonia actualitate non eget, saltem non egebat ante quindecim annos, Republica restaurata: cui nam archiepiscopo competenteret Gnesnensi an Varsoviensi. Illa sedes pro se traditionem saecularem habebat, haec expressas bullae an. 1818 et 1824. Tunc nuntius Apostolicus dedit talem officiosam declarationem, quod archiepiscopus Gnesnensis est primas Poloniae, Varsoviensis vero Primas Regni Poloniae.

Nunc D. Kwiatkowski investigationem non iuridicam, sed historicam praebet, non totius problematis, sed tantum unius momenti quomodo res se habuerit in fine s. XVIII post secundam partitionem Poloniae.

Tunc enim res primum actualis esse coepit. Quae partitio regi Borussiae dedit maiorem partem archidiaecesis Gnesnensis cum ipsa sede archiepiscopali. Apertum problema ortum est, an nunc et ulterius archiepiscopus Gnesnensis, subditus regis Borussiae, potuerit esse primas Poloniae cum suis permultis et ecclesiasticis et politicis praerogativis e. g. dignitate interregali. Talem statum volebat continuare ipse Borussiae rex et huius temporis primas Michaël Poniatowski. Attamen viri qui in conventu Regni Grodnensi 1793 statum Poloniae organisabant, dignitate primatiali Poniatowski ad finem vitae quidem recognita, rem aliter ordinaverunt. Etenim constituerunt in diminuata Polonia restantibus vel erigendis episcopatibus novam sedem metropolitanam instituere et quidem vel Cracoviae vel potius in nova erigenda diocesi Varsoviensi, cui metropoli dignitas primatialis competenteret. Spiritus movens huius actionis erat episcopus Livoniae Kossakowski, qui se primatem fore probabiliter spe-

rabat, sed et nuntius Apostolicus Saluzzi talia commendabat. Utcumque, conventus Grodnensis formaliter dignitatem primatiam a sede Gnesnensi abstulit. Quae memorabilis constitutio habet datum 23 Novembris 1793. Patet ad novam organisationem dioecesanam approbationem Sedis Apostolicae necessariam fuisse, sed de tali nulla erat dubitatio.

Notum est haec omnia ad effectum non deducta esse, insurrectione a. 1794 et tertia partitione Poloniae intercedente. In quibus convulsionibus et primas Poniatowski et episcopus Kossakowski obierunt. Succedens archiepiscopus Gnesnensis, iam a rege Borussiae nominatus, Krasicki recognoscebat sibi dignitatem primatiale non competere, operam vero dabat eam a rego Borussiae sibi collatum iri quod non obtinuit. Sedes Apostolica vero episcopatu Varsoviensi erecto eum metropoli Gnesnensi non subdidit sed a se immediate dependentem fecit. Documenta Pontificia archiepiscopo Gnesnensi adressata titulum ei dant quidem Legati Nati, non autem Primatis. Notandum denique est quod vicum nuntii functio non huic sed archidiacono Varsoviensi Albertrandi a Sede Apostolica concredita est. Quod ultimum certe secundum nostram opinionem vix cum quaestione primatiali coniungendum est. Gubernium Borussicum volebat tunc apud se vicarium Sedis Apostolicae habere qui omnia afferre omnia faceret, ad restringendam communicationem catholiconum cum Roma, sed inter candidatos ad tale munus Krasicki extinctus est ob suam nimiam devotionem (secundum acta asserta in Archivis Status Posnaniae); plura gubernium a novo et primo episcopo Varsoviensi Miaskowski sperebat. Notum est altera ex parte Krasicki Romae quoque nimis liberalem putatum esse.

Talis est brevis conspectus opusculi D. K. cuius vix medullam hic reproduximus. Adiugendum est eum rem suam bona methodo et limpido stylo texere, sufficit revocare eum discipulum illustris professoris Likowski esse.

In fine quod omnibus historiae studentibus iucundissimum erit, annuntiamus D. Kwiatkowski qua archivarium archidioecesanum Varsoviensem haec opulenta archiva in ordinem redigere, historicisque utilia reddere. Sunt maximi momenti, praeter alia continent veterem cancellariam primatum a temporibus Łaski necnon primatum archiepiscoporum Varsoviensium s. XIX, ergo summi valoris documenta pro historia ecclesiastica in Polonia exaranda.